

1215

C O D I C E S

1216

sae, quae cum subputentur *Libris*,
occurrentque inter Accipientes
Wilhelmus de Egmonda, *Petrus de Mechlinia*, *Anthonius de Francia*, probabile fit, Codicem *Patavio in Belgium commigrasse.*

DXXIII.

R. 3047. Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 196. f. maj. per duas columnas charactere crassifculo, et multum scatente compendiis exaratus, coloribus distinctus, olimque Monasterij *S. Dorothee in Wyenna* continet Libros III. priores vasti Commentaria in Magistrum Sententiarum, quorum I. incipit: *Dedit Abissus uocem suam. Abac. 3. Gloriosus docto Augustinus diuine nature supernam dignitatem et rationalis creature eternam felicitatem considerans &c.* Ex his, ut ut Autoris nomen a vetusta manu non compareat in Codice, certum fit, eum esse *Thomam Hagenensem O. Erem. S. Aug. dictum de Argentina*, quam diutius docendo illustravit, ad generalem Ordinis sui Prioratum proiectum, et, dum Ordinis domicilia obiret, apud nos anno 1357. defunctum, conditumque in Templo Suorum hodie Aulico ad latus *Gregorii de Arimino*, de quorum inspecto a. 1634. Sepulcro narrat Pars I. Scriptt. Univ. Vien. p. 21. et uberioris de *Thoma Ossingerus in Biblioth. Augustin.* p. 71. Initium Commentarii supra adlatum citat *Trithemius n. 627.* et confirmant Editiones, quarum mihi *Genuensis apud Ant.*

Orerium 1585. f. objacet, Genuensis vero a. 1635. f. ab Ossinger memorata suspecta est. Liber III. in Codice nostro finitus non est. Praeterea nullae habentur LL. Inscriptiones aut Subscriptiones. Distinctionum tamen et Quaestionum Tituli ad finem adsunt. Noverat Codicem hunc solers Ossingerus.

DXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 467 XIV. ineuntis, Folior. nunc 169. f. per duas columnas minute et nitide, multis tamen pro Scholasticorum more compendiis exaratus. *Commentaria in III. primos Libros Sententiarum Petri Lombardi complectitur. Initium L. I. avulsum est usque ad Distinctionem XXVI. quae incipit: Nunc de proprietatibus &c.* Sicut dictum est hec pars que pertinet ad confessionem trinitatis &c. Extrema sunt: trinitatis patris et filij et spiritus sancti. Liber II. incipit: *Creationem rerum &c.* Quantum ad primam partem huius distinctionis in qua eliduntur errores circa rerum creationem &c. et finit: et mandata eius obserua. Liber III. incipit: *Quamuis secundum beatum Augustinum assumentem materiam diuinarum scripturarum in libro de doctrina christiana &c.* et finit: non est de essentia iuramenti, immo accidit. Atque hic demum ad calcem legas: *Explicit tercius liber fratris rigaldi super sententias.* Jam quis hic Rigaldus? Non ille, quem Bibliothecarii Ord. Praed. T. I. p. 475; suum faciunt;